

Altare osculatur in medio, omnes inde procedunt in cornu Epistolae, se disponentes ut ad Introitum Missae solemnis: et statim, uti in Sabbato sancto, leguntur Prophe-  
tiae in Missali indicatae cum Versiculis et Orationibus, ante quas non dicitur *Flectamus genua*. Dieta sexta Ora-  
tione, fit benedictio Fontis, si habeatur; dicuntur Litaniae Sanctorum et caetera ut in Sabbato sancto. Missa so-  
lemnis, si cum cantu et Ministris celebrari non possit, sal-  
tem celebretur cum incensationibus. In ipsa non dicitur Introitus, sed dicto Psalmo *Iudica* et facta Confessione, incipitur a *Kyrie* statim post Litanias; ad *Gloria* pul-  
santur campana et tintinnabula; ad Evangelium non de-  
feruntur luminaria; non dicitur *Credo*; Praefatio, *Com-  
municantes*, et *Hanc igitur* (etiam in Missis privatis) propria; dicitur *Agnus Dei*, et datur pax. In Missis pri-  
vatis, Introitus *Cum sanctificatus*, uti in Missali notatur.

1483. Festum Pentecostes ex praecipuis est. Habet Octavam privilegiatam primi ordinis, ut Pascha Resur-  
rectionis. Ad primam stropham Hymni *Veni Creator*, qui dicitur quotidie etiam ad Tertiam, omnes in Choro genua flectunt, conclusio ipsius et aliorum eiusdem me-  
tri per totam Octavam erit: *Deo Patri sit gloria, et Filio qui a mortuis. . . in saeculorum saecula, et non in sempiterna saecula*. Octava Pentecostes clauditur ad Nonam Sabbati; et cessat tunc tempus paschale.

## CAPUT VIII.

## DE SOLEMNI FESTO CORPORIS CHRISTI.

1484. Pro festo SS. Corporis Christi decenter or-  
netur Ecclesia; et Altare, in quo est exponenda SS<sup>ma</sup> Eucharistia, paretur festivo apparatu et suppellectili, et praesertim non desit copia candelarum, quae ardeant, iuxta instructionem Clementis PP. XI. Sacrae autem imagines seu Reliquiae Sanctorum super Altare non collocentur; floribus vero ornetur idem Altare.

1485. Regulares tenentur ad solempnem processionem convenire sub propria Cruce, si ab Ordinario loci mandatum fuerit. Incedunt bini per ordinem cum candelis accensis, quas extinguunt tantum post impertitam benedictionem cum SS. Sacramento<sup>1</sup>.

1486. Possunt Regulares, per Octavam Corporis Christi, publice exponere SS. Eucharistiae Sacramentum, absque licentia Ordinarii<sup>2</sup>, sive ad Missam conventua-  
lem, sive ad Officium: et in hoc servetur usus cuius-  
cumque Ecclesiae vel Provinciae.

1487. Optimum erit tamen, saltem ante Missam con-  
ventualem, seu ante Tertiam, peragere expositionem SS. Sacramenti, et ad Matutinum cum Laudibus, quod iuxta nostram consuetudinem anticipatur in sero, ut Fi-  
deles lucrari possint Indulgentias a Summis Pontificibus concessas iis, qui divinis intersunt Officiis infra Octavam

<sup>1</sup> Caerem. Episc. l. II, c. XXIII, n. 29.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 20 April. 1641.

Corporis Christi<sup>1</sup>. Die autem octava, expositio facienda esset ad Vesperas aut Completorium; siquidem Matutinum sequentis diei nullam habet relationem cum Octava Corporis Christi.

1488. Solemnitas Corporis Christi est primae classis cum Octava privilegiata, de qua semper fit Commemoratio in Officio et Missa, etiam in duplicibus primae classis. Si festum S. Ioannis Baptistae hac die occurrat, singulari privilegio transfertur in sequentem diem a quocumque festo, itidem primae classis, impeditam, cum Commemoratione Octavae; et in secundis Vesperis Corporis Christi fit Commemoratio S. Ioannis.

1489. Occurrente Vigilia eiusdem S. Ioannis die Corporis Christi, anticipatur ieiunium<sup>2</sup>. Nec quidquam fit in Officio vel Missa de Vigilia S. Ioannis<sup>3</sup>.

1490. Infra hanc Octavam festa duplicia locum habent, non autem translata, nisi sint primae et secundae classis<sup>4</sup>. De festis simplicibus et semiduplicibus fit Commemoratio in Officio et Missa absque nona Lectione, si Officium celebratur de die infra Octavam; si vero recitetur Officium de festo duplici, tunc nona Lectio historica locum habet, dummodo non sit duplex primae classis, quia tunc non fit Commemoratio de sim-

<sup>1</sup> Indulgentiae memoratae eiusmodi sunt, videlicet in festo ipso: pro Missa 400 dies, pro Matutino 400 dies, pro utrisque Vesperis 400 dies, pro qualibet Hora parva 160 dies; et in quibuslibet infra Octavam diebus, pro Matutino, Vesperis ac Missa 200 dies, et pro reliquis Horis 80 dies. Martinus V, 26 Maii 1429, et Eugenius IV, 26 Maii 1433; quae Indulgentiae valent ex decreto Ioannis XXII, etiamsi dicatur Officium de Sancto occurrente.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 15 Octob. 1638, et 2 Octob. 1706.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 18 Septemb. 1706, et 23 Martii 1641 in Giennen.

<sup>4</sup> S. Rit. C. 30 Maii 1699, in Ulissipon. ad 2 et 3.

plici<sup>1</sup>. In die octava non fit, nisi de duplici primae classis occurrente; caetera vero transferuntur.

1491. FERIA VI post Octavam Corporis Christi fit de SS. Corde Iesu ritu duplici primae classis: ast notandum, quod in die Octava Corporis Christi ad Vesperas nihil fit de sequenti<sup>2</sup>. Si vero in dictam Feriam VI incidat festum S. Ioannis Baptistae vel SS. Apostolorum Petri et Pauli, festum SS. Cordis transfertur tamquam in sedem propriam ad Sabbatum sequens, et de primis Vesperis eiusdem non fit nisi Commemoratio in Vesperis praecedentis festi<sup>3</sup>.

## CAPUT IX.

### DE RITU PROCESSIONIS IN FESTO PORTIUNCULAE.

1492. In festo Portiunculae, ubi pia consuetudo invaluit, ut ante primas Vesperas processio instituat: Fratres, post primum campanae signum omnes in Choro conveniant.

1493. Superior, superpelliceo et Pluviali albi coloris indutus, subsequens omnibus Religiosis, e Choro seu e Sacristia vadit ad Altare maius cum Ministris cottis indutis, et factis debitis reverentiis in infimo gradu genuflectit, et paulisper orat. Reliqui Fratres hinc et hinc genuflectunt, exceptis Crucifero et Ceroferariis, qui coram Altari prope mensam Communionis stant.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 12 Septemb. 1671, in Nuscana ad 1.

<sup>2</sup> S. Rit. C. Decr. 28 Iul. 1889.

<sup>3</sup> S. Rit. C. Decr. 5 Sept. 1891.

1494. Peracta adoratione omnes surgunt, et Sacerdos intonat Hymnum *Ave maris stella*; facta genuflectione, proseguendo Hymnum processio instituitur, per fores Ecclesiae egrediendo, ac circumeundo aream, quae est ante Ecclesiam, et rursus ingrediendo Ecclesiam.

1495. Cum ad Altare pervenerint, Cruoifer deponit Crucem in latere Evangelii et Acolythi candelabra super abacum, et cuncti suo ordine genuflectentes, Sacerdos ad infimum gradum accedit cum Ministris, qui completo Hymno sequentem Versiculum cantat, respondente Choro:

Ÿ. *Dignare me laudare te, Virgo sacrata:*

R. *Da mihi virtutem contra hostes tuos.*

OREMUS.

*Concede nos famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosa beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia. Per Christum Dominum nostrum.*

R. *Amen.*

1496. Quibus absolutis, pro Indulgentia lucranda recitentur quinquies *Pater noster* et *Ave Maria*; deinde omnes simul, dato signo a Superiore, surgunt, Chorum ingrediuntur, et praemissis aliis duobus campanae signis, Vesperas incipiunt. Notandum autem, Indulgentias lucrari non posse, nisi incipiente die ecclesiastica, idest medio tempore inter meridiem et solis occasum.

1497. Ad solis occasum SS. Sacramentum, si non est expositum, more solemni exponitur, Celebrante et

Ministris seu Assistentibus paramentis albis indutis. Deinde intonatur Hymnus *Te Deum laudamus*, quem omnibus stantibus<sup>1</sup>, et solummodo, dum recitatur versiculus *Te ergo quaesumus*, genuflectentibus<sup>2</sup>, uterque Chorus proseguitur. Completo Hymno ad infimum gradum Altaris genuflexus cum Ministris Celebrans solus cantat sequentes Versiculos, respondente Choro:

Ÿ. *Benedictus es, Domine, Deus patrum nostrorum:*

R. *Et laudabilis et gloriosus in saecula.*

Ÿ. *Benedicamus Patrem, et Filium cum sancto Spiritu:*

R. *Laudemus et superexaltemus eum in saecula.*

Ÿ. *Benedictus es, Domine, in firmamento coeli:*

R. *Et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in saecula.*

Ÿ. *Benedic, anima mea, Domino:*

R. *Et noli oblivisci omnes retributiones eius.*

Ÿ. *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam:*

R. *Et salutare tuum da nobis.*

Ÿ. *Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix:*

R. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

Ÿ. *Signasti, Domine, servum tuum Franciscum:*

R. *Signis Redemptionis nostrae.*

Ÿ. *Domine, exaudi orationem meam:*

R. *Et clamor meus ad Te veniat.*

Et tunc surgens:

Ÿ. *Dominus vobiscum:*

R. *Et cum spiritu tuo.*

<sup>1</sup> S. Rit. C. 27 Mart. 1779.

<sup>2</sup> Caeremon. Episcop. I. II, c. 5, n. 16.

## OREMUS.

*Deus, cuius misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimae Maiestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut, qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas.*

*Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de eius semper consolatione gaudere.*

*Deus, qui salutis aeternae, beatae Mariae Virginitate foecunda, humano generi praemia praestitisti: tribue, quaesumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus Auctorem vitae suscipere Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.*

*Deus, qui Ecclesiam tuam beati Patris nostri Francisci meritis, foetu novae prolis amplificas: tribue nobis ex eius imitatione terrena desplicere et coelestium donorum semper participatione gaudere.*

*Deus, qui nobis per singulos annos huius sancti templi tui consecrationis reparas diem, et sacris semper mysteriis repraesentas incolumes: exaudi preces populi tui, et praesta, ut quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse laetetur. Per Christum Dominum nostrum.*

R). Amen.

1498. Terminatis Orationibus, Celebrans genuflectit utroque genu, cantatur *Tantum ergo*, more solito incensatur sub *Genitori* SS. Sacramentum, ac reliqua perficiuntur, ut sub n. 1207 et seq. Finita benedictione, ordine quo venerant omnes ad Sacristiam redeunt.

## CAPUT X.

## DE TRANSITU S. P. N. FRANCISCI.

1499. Cum S. P. N. Franciscus circa occasum solis diei quarti Octobris anni 1226 pie in Domino obierit, et ipsius beata anima in coelum evolaverit, mox in Ordine mos invaluit commemorandi tam sanctam mortem singulis annis, die ipsa recurrente, immediate post Vesperas, aut, quod melius, circa solis occasum, sub nomine transitus S. P. N. Francisci, sequenti modo.

1500. Hora statuta signo campanae Fratres convocantur ad Chorum. Superior vel Hebdomadarius in Sacrario induitur Amictu, superpelliceo, Stola et Pluviali albi coloris, vel saltem superpelliceo et Stola alba; tres Clerici superpelliceis. Interim Fratres a Choro bini per ordinem procedunt ad Sacellum Seraphici Patris; aut quo ipsius Reliquia est exposita, ibique adgeniculantur.

1501. Praecedentibus Thuriferario cum thuribulo et navicula, et duobus Ceroferariis cum candelis accensis, Sacerdos inter alios duos Clericos tenentes limbos Pluvialis accedit ad ipsum Altare, ubi facta ab omnibus profunda inclinatione (si Sacramentum non adsit), omnes in genua procumbunt.

1502. Brevem post moram Sacerdos et Clerici surgunt, et more solito incensum ponitur in thuribulo: hinc, facta a Clericis genuflexione, et a Celebrante profunda inclinatione, Celebrans duplici ductu sacram Reliquiam thurificat, et repetita reverentia ac restituto thuribulo,

surgentibus omnibus, maiori qua fieri potest devotione et solemnitate intonatur et canitur

## ANTIPHONA.

*O sanctissima anima, in cuius transitu coeli cives occurrunt, Angelorum chorus exsultat, et gloriosa Trinitas invitat dicens: Mane nobiscum in aeternum.*

1503. Deinde cantatur, seu alta voce recitatur Ps. 141: *Voce mea ad Dominum clamavi* etc., ut in Vesperis Feriae sextae; postremum autem versum, sub quo Seraphicus Pater, Psalmum recitans, exspiravit, magna devotione et gravitate atque magis elevata voce cani oportet.

1504. Dicto *Gloria Patri*, repetitur Antiphona *O sanctissima anima*, omnes genuflectunt, ac quinque *Pater, Ave* et *Gloria* recitant: quibus finitis, surgunt et sequentem Antiphonam subiungunt:

## ANTIPHONA.

*Salve, S. Pater, patriae lux, forma Minorum, virtutis spectaculum, recti via, regula morum, carnis ab exilio duc nos ad regna polorum.*

1505. Postea Sacerdos adiungit: *Franciscus pauper et humilis, coelum dives ingreditur*; cui Chorus respondet: *Hymnis coelestibus honoratur*.

Deinde Sacerdos dicit:

## OREMUS.

*Deus, qui hodierna die animae beati Patris nostri Francisci aeternae beatitudinis praemia contulisti: concede propitius, ut qui eius migrationis memoriam piis*

*affectibus celebramus, ad eiusdem beatitudinis praemia feliciter pervenire mereamur. Per Christum Dominum nostrum. R). Amen.*

Y. *Dominus vobiscum:*

R). *Et cum spiritu tuo.*

Y. *Benedicamus Domino:*

R). *Deo gratias.*

1506. Tunc Sacerdos surgit, Reliquiam accipit, et conversus ad Fratres et populum omnes cum illa benedicit, nihil dicens. Quo facto, Fratres ad superiorem gradum Altaris, Fideles autem ad cancellos Presbyterii aut Capellae accedunt, et devote s. Reliquiam a Sacerdote manu dextera porrectam (sinistra post quodlibet osculum linteolo abstersam) osculantur, dum Celebrans dicit:

*Per intercessionem S. P. N. Francisci Confessoris liberet te Deus ab omni malo. R). Amen.*

1507. His finitis, Sacerdos cum Ministris ad Sacristiam revertitur, portans utraque manu ante pectus elevatam s. Reliquiam<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Hic modus semper est servandus, mutatis mutandis, quoties sacris Reliquiis Fideles benedicuntur. Notandum est, 1<sup>o</sup> quod Reliquiae SS<sup>mae</sup> Crucis alteriusve Dominicae Passionis Instrumenti triplici incensentur ductu, cum genuflexione unius genu ante et post; 2<sup>o</sup> quod nulla Reliquia, nequidem SS. Crucis etc. poni possit nec ante, nec supra Tabernaculum, in quo SS<sup>mum</sup> Sacramentum asservatur, ita ut idem Tabernaculum pro basi inserviet\*; 3<sup>o</sup> quod in omni expositione Reliquiarum, saltem duae candelae aut lumina ardere debeant; 4<sup>o</sup> quod, si Fideles ad osculum SS<sup>mae</sup> Crucis aut alicuius Instrumenti Dominicae Passionis admittantur, nihil pronuntietur; et 5<sup>o</sup> quod populus semper benedicendus sit cum Reliquia SS<sup>mae</sup> Crucis aut Dominicae Passionis Instrumenti, quod tamen non est de praecepto quoad Reliquias B. M. V. aliorumque Sanctorum.

\* S. Rit. C. Decret. general 3 April. 1821.